Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-642207-p0001-8

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-17
SIGNAT. cIƆIƆCCCXIII.

einzelne verzettelt 17. III. 1915.

+ ex Pr. LXXXIII. 23.26
Fran. Pr. XCIX. 6.

* ex Eccl. Ins. XII. 1—7.
V. Hebr. 1553.

F. 2 Einband der eben. Vitt. 1710.
+ Praeside Andrea Jenaeno. Vitab. 1580.
* Resp. Joh. Christoph Salle Hann.
Jehova kirchmaiseri de Sergiis.
2. Reg. 11. Witteb. 1587.
+ Praeses eiusd. Wilh. Christoph. Wichmannshausen.

7. F. M. Jehova
ex 2.
+

23 y) 25. 22

Q. D. B. V.

חלק הטוב

DEUS OPTIMA FIDELIUM PORTIO

Ex PSALMI LXXIII.
Comm: 25. 26.

Propositionibus Philologicis
monstrata,
Quas
In Disputatione Publica
PRÆSIDE
M. JO. HELVICO WILLEMERO,
Mœno-Francofurtano,
asseret
RESPONDENS
CASPARUS Naymer /
Ratisbonensis.
A. Æ. V. M. DC. LXXIX.
Ad Diem X. Septembris, hor. matut.
In Auditor. Veteri

WITTEBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-642207-p0003-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-642207-p0004-5

עמי עשו

Ἄνευ παθῶν καὶ φθορμίας.

Textus Authenticus : מי־לי בשמים ועמך לא־חפצתי בארץ : כלה שארי ולבבי צור־לבבי וחלקי אלהים לעולם :

Chald. מן כותך דילי בשמיא אלא את ועמך חברא לא צביתי בארעא : אשתיצא גושמי ולבבי תקיפא דבחין לבבי וחולקי אלהא לעלמא :

Qvis similis tui, qvi meus es in cœlo, nisi tu? proinde tecum socium non volui in terra. Consumptum est corpus meum & cor meum: fortis est qvi probat cor meum, & pars mea Deus in æternum.

Syr: ܡܢܘ ܕܝܠܝ ܒܫܡܝܐ ܐܠܐ ܐܢܬ ܘܥܡܟ ܠܐ ܨܒܝܬܝ ܒܐܪܥܐ : ܐܫܬܝܨܐ ܦܓܪܝ ܘܠܒܒܝ ܬܩܝܦܐ ܕܒܚܝܢ ܠܒܒܝ ܘܚܠܩܝ ܐܠܗܐ ܠܥܠܡܐ :

Qvid est mihi in cœlo tecum, & qvid optavi in terra, ut apprehenderis manum meam dexteram, Et consumtum sit cor meum & caro mea, ac robur cordis mei? Portio mea in DEO est in sempiternum.

LXX. Interpp: Τί γάρ μοι ἔστιν ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ παρὰ σοῦ τί ἠθέλησα ἐπὶ τῆς γῆς; ἐξέλιπεν ἡ καρδία μου καὶ ἡ σάρξ μου, ὁ θεὸς τῆς καρδίας μου, καὶ ἡ μερίς μου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα. Qvid enim mihi est in cœlo? & à te qvid volui super terram? defecit cor meum & caro mea: Deus cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

Vulgata Latina ex ista LXX. est desumta, eidemqve hic exactè respondet, nisi qvòd vocem carnis præmittat vocabulo cordis.

B. Lutherus Paraphrasi *Vinariensium* illustratus: Wenn ich (ô allerliebster Heyland) nur dich habe/(wenn ich deiner Gnad und Beywohnung in meinem Hertzen versichert bin) so frage ich nichts nach Himmel und Erden (auch nichts nach allen Creaturen in denselben/welche meine Seele durchauß nicht sättigen/stillen/beruhigen/noch das höchste erwünschte Gut der ewigen Seeligkeit mir geben können: Sondern du/du/mein getreuer Erlöser kanst dieses allein thun) Wenn mir gleich Leib und Seel verschmacht/(wenn ich neben vielfältiger Traurigkeit der Seelen Jammer und Elend/auch endlich in Todes-Angst komme) so bist du doch/GOtt/allezeit meines Hertzens Trost (mein starcker Felß des Heyls/darauff ich mich im Leben und Tode wider alle Höllen-Pforten gründen kan Matth. 16. 18) und mein Theil (im Lande der Lebendigen/Ps. 142/6. mein köstliches Erbtheil in Himlischer Freud und Seeligkeit/welches ich alle dem weit vorziehe/was die Gottlosen zu ihrem Theil in der Welt empfahen Luc. 16/25. Ich habe das beste Theil erwehlet/das soll in Ewigkeit von mir nicht genommen werden)

Lutherus

Lutherus in Translatione prima a. 1524 Witteb. ed.
Wen hab ich ym Hymel? und auff erden gefället myr nichts
wenn ich bey dyr byn. Meyn fleysch und meyn Hertz ist ver-
schmacht/Gott ist meyns hertzen hort und meyn teyl ewiglich.

I. Loqvitur hic Asaph, suô & Davidis nomine. Uterq; autem in hymnis conscribendis peculiari instinctu divinô gavisus est: nec ullum de authentica istorum auctoritate debet esse dubium.

Ea qvæ Asaphum, ejusqve præclarè gesta concernunt, convenienti ordine licet cognoscere ex *D. Gejeri Tom. I. in Psal. pag. 994.* Cui ob Korachitarum exemplum & primarium literæ ל significatum non improbanda videtur sententia B. Höpffneri de Davide, hujus etiam Psalmi Autore secundario. Nos hanc satis antiqvam intricatissimamqve controversiam hic missam facimus: cùm summa jam ingenia in eadem decidenda satis laborâsse intelligamus. Merentur de nobili isto sacratioris Philologiæ argumento legi B. Dorscheus *Pentad. Disp. XII. §. 35. seqq. p. 407.* B. Gerhardus *Exegesi L. de Script. § 141. Tom. I. LL. p. 58 b. Harm Ev. c. 157 p. 522. a.* D. Calovius *Tom. I. Bibl illustr. p. 930. a. 1062. b.* B. Waltherus *Centur. Miscell. p. 521.* Nec non D. Rivetus *prol. in Psal. p. 14.* Polus *Vol. II. Synops. Crit c. 478. l 58.* Henr. Möllerus *prælect. in Psal. p. 411. a. 629. a.* Hottingerus *Thes. phil. p. 495.* Drusius *qvæst. per epist p. 30. 35.* Gatakerus *Cinni p. 118* Ut & Sixtus Senens. *lib. I. Biblioth.* Possevinus *lib. II. Bibl. c 77.* Morinus *exert. bibl. p. 273.* Bonfrerius *in præloq. ad Script. S. c. 7. p. 26.* inpr. Lorinus *proleg. in Psalt. tom. I. c. 2. in Act. Apost. p. 50.* & in peculiari scripto anno 1541. de hac materia edito *Alexander Alesius.* Rectè de Jobi libro Gregorius M. *Cùm rem cognoscimus, qvi scriptorem qvarimus, qvid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo satagimus?* Theodoretus verò ausus est dicere: *Qvid meâ refert, hujus* (Davidis Psalmi) *omnes, an illorum nonnulli sint, cùm universos Spiritûs S. afflatu conscriptos fuisse compertum sit?* Eqvidem & Rivetus asserit, *de αὐθεντίᾳ Psalmorum nunqvam in Ecclesia dubitatum esse*: verùm hujus contrarium exemplô Nicolaitarum, Samosateni ac Gnosticorum monstrat profligatqve B. Gerhardus

Exegef. de Script §.144. t I. LL. p. 59. b. Nobis hic jam ſufficit, Aſaphum dici חזה 2. Paral. 29, 30. Videntem illum ſive Prophetam insignem, divinô Spiritu afflatum.

II. Peritura improborum bona ſibi negligenda rectè duxit Pſaltes; omnia verò conſilia bene beatèqve vivendi ac rectè faciendi ad ſolum DEUM retulit. Hunc ſibi auctorem Ducemqve elegit, & ex omnibus expetendis rebus, ut ſummum maximumqve bonum, ſolum ſibi DEUM amandum ſumſit. Hic enim *optima fidelium portio*: omnis mali expers, ac infinita in ſe bona continens, omnes animi ſenſus mirâ ſvavitate perfundens: ab ipſa qvippe DEI inexhauſta bonitate profecta, Chriſtiqve meritô ac precibus impetrata; nobis in verbo oblata, fideliqve apprehenſione poſſeſsa, atqve æternùm ſine ullo amittendi metu in lœtisſima qvorumvis bonorum ubertate tenenda.

III. Deſignat verò ſigillatim David nomine cœli terræqve totum hoc Univerſum, atqve cùm iſtud, tùm ſuas etiam vires admodùm exiguas expendit, ac iſtis omnibus cum DEO diligenter collatis, apud animum ſuum ſtatuit, unicum firmisſimumqve ſui præſidium in amando ſolo DEO verâ fide qværendum.

IV. Primum inter DEI opera cœlum primo loco conſiderat Aſaph, uſus memorabili interrogatione מי לי בשמים *quis mihi in cœlis*? Nullus mihi in amplisſima cœli machina ſpatioſisſimoqve ſiderum receptaculo eſſe poteſt locô petræ ſeu firmi, cui innitar, præſidii; vice partis ex hæreditate amœnisſimæ æternumqve ſufficientis, aut argumentum etiam amoris gaudiiqve veri, in omne ævum duraturi. Nullus omninò datur in toto, qvem vocant, ſuperiori mundo, qvi exoptatum mihi deſiderium, deſideratam ſæpiùs opem, opulentam adeò hæreditatem ferre posſit & conferre. Cùm nec ullus in cœleſti felicitate angelus, nec ulla alia, utut formoſisſima, in cœlo creatura meum explere deſiderium, res confirmare nutantes, aut reſtituere ablatas, pari atqve Tu, DEUS glorioſisſime, potentiâ posſit, ſimiliqve ſatis promtâ benignitate velit.

Nota

Nota satis, plurìbusq; lingvis communis est interrogationis vis significandi negativè, qvò conf. B. Glassius *phil.S. Lib.IV. tr.1. p. 645. (845.) Lib.V. tr.2. c.5. p.553. (1448.)* Qvæ tamen negatio præfixos sibi limites hîc agnoscit. Nec enim omne omninò auxilium constitutis sive in cœlo stellis, sive in beatitudine angelis hîc denegatur; sed summum solùm, qvod à seipsis eodem cum DEO modo habere finguntur. Sua enim certa & grata satis ministeria angeli pariter atqve aliæ cœlestes creaturæ nobis qvotidie præstant.

V. Interrogandi vox penès Ebræos מִי est, adhibeturq; propriè de persona, perinde ut Latinorum qvis? qvisnam? 1. Sam.12, 3. c.25, 10.

Rectissimè igitur Chaldæus per מַן, Junius & Tremellius per qvis reddiderunt. Cum qvibus etiam in prima Translatione B. Lutherus faciebat: Wen hab ich im Himmel? LXX Græci & hos secutus Interpres Latinus Vulgatus, Arabs, Æthiops, ut & Syrus aliiq; voculam מִי, ut interrogativum rei hîc sumunt, intelliguntq; primariò de rebus in cœlo creatis qvibuscunqve. Sed ita מִי pro מָה poni falsò existimant: cùm מִי in Scriptura S. nunqvam nisi de persona dicatur; juxta illud R. Dav. Kimchi in ספר שורשים f.69. c.1. edit: Venetæ והכלל שלא תמצא מי כי אם על חי מדבר *Nunqvam invenies מי, nisi de persona dictum.* Non desunt tamen, qvi מי in sensu optandi hîc sumant, ut *Henr. Mollerus prælect. in h.l. p.640. Oratio*, inqvit, *est optantis, qvalis illa 2. Sam. 23, 15. & Ps.4, 7. qvi versus planè cum hoc congruit. Ita igitur resolvenda est oratio: Qvis mihi det, ut sim in cœlo & cœlestibus bonis perfrui possim?* Consentit *R. Jac. Abendana* spicil. ad h.l. ויתכן לפרשו. בלי חסרון ופירושו מי יתן לי היותי בשמים עמך כי לא חפצתי בארץ *Potest exponi sine defectu, eo sensu: utinam apud te in cœlo essem! terram enim nullus desidero.* Verùm primaria interrogandi significatio hîc retinenda: secundarius optandi sensus particulæ מי in Exod.16, 3. 2.Sam.15, 4. c.23, 15. Psal.4, 7. Ps.14, 7. aliisq; locis paucioribus post seqvens verbum concessus, hîc ob adjunctum לי & subintelligendum חפץ negatur. R. Abendana negat qvidem aliqvem in oratione defectum, ipse tamen addit יתן להיותי, inde accentûs athnach vim distingvendi non attendit,

ex

ex altero hemistichio vocem עמך huc trahit, ibidemq; ך sine ratione negligit, & cœlum gloriæ intelligit.

VI. Qvæ priori jungitur vox לי significationem satis prægnantem habet. Primariò qvidem ut aliàs sæpius, ita hîc qvoqve *mihi* denotat, referturq; ad personam Psaltis, & cujuscunqve fidelis. Postmodum verò ל seorsim consideratum vel infert commodum, & notat *pro*, qvis pro me sive in mei commodum in cœlo? vel designat auxilium, hoc sensu, qvis mecum, qvis meus opitulator in cœlo?

De ל commodi significativo pronunciat rectè Flacius *P. II. Clav. Script. col. 268.* Dativo ejusmodi significatur aliqvid in alicujus commodum, gratiam; aut damnum vel odium fieri. Qvod seqventia Scripturæ loca confirmant Genes. 23, 8. Exod. 14, 25. c. 18. v. ult. Num. 25, 13. Jos. 7, 10. c. 10, 14. Jud. 6, 31. 2. Sam. 16, 20. c. 20, 6. Job. 7, 3. c. 12, 11. Psalm. 80, 7. Ps. 120, 6. Ps. 122, 3. 4. Ps. 144, 2. Prov. 31, 8. Cant. 1, 8. c. 2, 10. c. 4, 6. Jes. 31, 8. Jer. 15, 8. Ezech. 37, 11. Hos. 8, 9. Mich. 1, 11. c. 2, 6. 11. Zach. 9, 9. Auxilium verò denotat ל in seqventibus Scripturæ locis Genes. 31, 42. Ps. 56, 10. Ps. 118, 6. Ps. 124, 1. 2. Cantic. 6, 3. Malè tamen scrutiniô & desideriô legis div. se in cœlis aliqvem pro se interpretem angelum obtinere posse contendit, meritô bonæ actionis confisus, *R. Abendana* in spicil. inqviens מי לי בעבורי בשמים מלאך מליץ כאשר עמך לא חפצתי בארץ כלומר שאם לא אחפוץ בך ובתורתך בהיותי בארץ לא אמצא מליץ טוב בערי בשמים:

VII. Suprema orbis hujus creati pars, alterô mundi die producta, aërem, aqvam atqve terram spatiosissimô ambitu suô complectens, hisq; divinô munere lucem & diversi generis operationes largissimè impertiens, stellas vastitatis immensæ, virium prorsus mirandarum, splendoris gloriosi, motûs velocissimi pariter ac ordinarii, durationis tandem constantissimæ in sese continens, Ebræis propriè שמים dicitur; ut aliâs pluribus demonstratum. Hîc verô præter ætherem eâ voce aër simul intelligitur, adeoq; omne illud, qvod in hoc Universo nomine ארץ sive globi, ut loqvuntur, terraqvei non comprehenditur.

Gen.

Gentiles itaqve ſolem, vel ipſum etiam Diabolum, adorent: multa miraq; ſibi aliisq; de reliqvis etiam planetis & ſtellis, qvas vocant, fixis certo certiùs polliceantur Aſtrologi; avium volatum cæteraq; ſolicitè obſervent auſpices aliiq;, naturæ arcana curioſiùs & ſine divina directione ſerutantes; fidelis firmam in perituris hisce fiduciam non collocat, nullam ſine DEO opem inde ſibi pollicetur, tantum abeſt, ut conſtanti in iſtud cœlum amore propendere debeat. Sed nec in ipſo gloriæ regno ullus ſanctorum angelorum aut beatorum Cœlitum datur, qvi ſine æterni Numinis nutu aliqvam fidelibus opem ferre posſit, aut pari cum DEO fiduciæ atqve dilectionis cultu affici debeat. Qvem poſtremum ſenſum rectisſimè etiam *Raſchi* attendit, inqviens : מי לי בשמים שום מלאך שבחרתי לי לאלוה לא בחרתי אלא אותך:

VIII. Aliqvem in iſta oratione defectum omnes facilè intelligunt; ſed non eodem modo ſupplent. Rectisſimè eum ex ipſo loci contextu eruunt, qvi verba חפצתי עמך huic etiam priori hemiſtichio inſerunt : Qvis mihi in cœlo *tecum deſiderabilis?* cujus æqvè ac tui deſideriô tenerer? Qvâ comparativâ locutione magnam æterni Numinis corporumq; cœleſtium diſparitatem eleganter oſtendit Aſaph, qvòd loco infra DEUM longè inferiori omnia in cœlis bona ſint conſtituta, nec amorem noſtri mereantur, nec poſitam in iis fiduciam firmiter conſervent.

Optimè *Aretius Felinq in h.l. p.400. Qvis mihi in cœlis, ſubaudi, præter te arrideat?* Præiverat ex Ebræis feliciſsimè *R. Aben Eſra & R.D. Kimchi* Comm. in Pſ. f.54. b. edit. Iſnenſ. anno 1542. אין לי חפץ בשמים אלא בך: כי בבעלי האמונות הרעות יש מאמינים בשמש או באחד מהכוכבים: ואני אין לי חפץ אלא בך לבד: לא שמתי לך שותף: לא בשמים ולא בארץ *Non eſt mihi deſiderium in cœlo niſi tui. Qvia inter infideles ſunt, qvi credant in ſolem aliamve ſtellam; Ego autem Tui ſolius deſideriô teneor: neminem tibi ſocium adjunxi, ſive in cœlo, ſive in terra.* Eadem more ſuô ſed conciſiùs, indeq; obſcuriùs, repetit *R. Sal. ben Melech* in מכלול יופי fol. 177. c. 4. Conſentit *Simeon de Muis in h.l.*, *B. D Wellerus atq; D. Gejerus.* Chaldæus כותך אלא את adjecit, qvis *ſicut tu?* qvi meus es in cœlis, *niſi tu?* præter te? Theander

verbum substantivum unà intelligit, sensu possidendi, Wen hab ich im Himmel? Cum Chaldæo faciunt JTremellius: qvis mihi in cœlis *præter te?* Qvâ exceptivâ propositione omnia in cœlis constituta, velut creatori directè contradistincta, ab eo fiduciæ & dilectionis divinæ modo rectè excludunt.

IX. Perspicuum nunc sensum habent, qvæ in altero de terra hemistichio subjiciuntur. Nimirum nullâ in terris re æqvè ac DEO sive cum DEO delectari sese profitetur fidelis, animi excelsissimi. Eqvidem vocem עִמָּךְ geminô vicissim sensu exponunt Interpretes. Semel עמך velut per accentum Dominum à seqvente voce distinctum, simplici propriôq; sensu conjungendi sive comitatûs reddunt, & tecum, scilicet ubi constitutus fuero. Ubi tecum per fidem in spe, æternumq; in re firmiter conjunctus, & unus cum te Spiritus fuero, non desidero terram & bona terræ maxima. Aliter vocem עמך cum לא חפצתי conjungere poterimus, istô satis convenienti sensu: terram terrenaq; bona, utut præstantissima, neqvaqvam tecum simul aut etiam æqvè ac te, desidero, te solô verè Summô Bonô contentus acqviesco: non simul tibi DEO & mammonæ ex acqvisitione, possessione vel usurpatione injusto servio. Qvia Christo cum Beliale, luci cum tenebris nulla est communicatio. Qvin etiam terræ bona ad degendam hanc vitam necessaria, neqvaqvam eô desideriô expeto, qvô Te tuaq; in verbo ὁρατῷ τε καὶ ἀιδίῳ beneficia. Hæc omnibus mundi thesauris antepono longissimè, conf. Matth. 10, 37. cap. 13, 44. 46. Luc. 14, 26.

Prima interpretatio ellipsin verbi substantivi freqventissimam supplet, atqve B. Luthero in prima translatione placuit: Wenn ich bey dir bin. Postrema interpretatio sensum peculiarem exæqvandi particulæ עם continet, qvo nonnunqvam idem valet ac pariter, æqvè ac. Qvò conferenda sunt loca Jobi 9, 26. Ps. 120, 4. Ps. 143, 7. Cohel. 2, 16. c. 7, 11. Accedit huc Chaldæus reddens ועמך חברא לא צביתי. Illa tamen sententia, qvæ עם exclusivè sumit, & ab isto fidelis animæ desiderio ac amore omnes creaturas excludit, potior videtur, ut optimè Theander reddiderit:

rit: HERR / wenn ich nur dich hab / Te nimirum, qvem nunc post superatam animi tentationem intelligo solum & esse & largiri nobis in universum omnia.

X. Ipsummet desiderium significanti voce חפצתי exprimitur. Notat ea aliâs nonnunqvam actum voluntatis simplicem, sine peculiari delectatione, 1.Sam.2, 25. Ps.40,7. Freqventissimè tamen & propriè vehemens desiderium, propensionem intimam, complacentiam cordis, qvietem animi jucundissimam affectumq; tenerrimum, qvô interna amoris viscera intimè commoventur erga rem amatam, putà Sponsam, Genes. 34, 19. Deut.21, 14. Esther. 2, 14. cap.6, 6. Jes.62 4. gemmas Prov. 3, 15. cap.8, 11. Jes.54, 12. ipsamq; legem divinam, Ps. 1, 2.

Esse autem DEUM fidelium sponsum, esse Christum unionem & gemmam pretiosissimam, alibi docetur.

XI. Flagrantissimum hunc affectum voce לא David terrenis denegat, adeoqve ex oppositorum lege eleganter declarat, qvòd extremum erga terrena fastidium, summam erga peritura mundi bona nauseam, maximamq; eorundem detestationem, si cum DEO divinisq; conferat, animô concipiat.

Ea non qværit, appetit aut desiderat, sed penitùs contemnit, aversatur, abominatur, er fragt nichts darnach / ut Megalander indicat. Cognitus Philologorum canon: negatio contrarii vehementiùs affirmat; qvò conf. B. Glassius *phil. Lib. III. tr.3. c.20. p.286. (583.) tr.5. c.20. p.480. (724.)* D. Geier *T.I. in Psal. p.4. 146. Medit. mort. T. II. p.17. Tom. III. p.68. Omnipræs. div. p.53.* Sigillatim de vi negandi cum verbo חפץ confer Deut.21,14. c 25,8. 2.Sam.15, 26. Ps.109, 17.

XII. Fidelium itaqve desiderium in solo DEO est defixum, neqvaqvam simul, multò minùs potissimùm, omnium minimè solùm in carnalibus, in caducis, sive, ut Asaph loqvitur בארץ. Particula ב ad præcedens verbum חפץ tanqvam affectûs sive θελιαστικὸν pertinet, jubetq; vocem ארץ penès Latinos in qvarto casu efferre, non desidero terram.

Exempla verbi חפץ cum ב eo ſenſu conjuncti habentur Gen.34. 19 Num.14,9. 1.Sam.18,22. c.19, 1. Qvi ב convertunt *in*, vocemq; ארץ latinè in ſexto caſu ordinant, naturam verborum affectûs negligunt, & defectum non neceſſarium vocis מאומה aut ſimilis introducunt, reddentes: non deſidero *qvicqvam* ſive aliqvid in terra.

XIII. Vox autem אֶרֶץ notat mundum, qvem vocant, inferiorem; non orbem tantùm habitabilem, ut תֵּבֵל; nec certam alicujus patriam regionem; aut qvadam dicendi excellentiâ Palæſtinam, ut aliâs: ſed integrum globum terreſtrem, ex diverſisſimis cùm regionibus, tùm aqvarum collectionibus conſtantem, adeoq; præter humanum genus, innumeros terrâ mariq; theſauros, opificiaq; DEI præſtantisſima divinô beneficiô in ſeſe continentem. Singula etenim in cœlo & in terra, qvocunqve boni nomine veniant, ſi ad Summum Numen referantur, ſunt velut aqvæ guttula ad mare profundisſimum, velut nihilum ad magnum Pan illum, Sirac. 43, 29. aliqvando ſuis omnia in omnibus gloriosè futurum. Cujus intuitu uti bona cœli terræq; nihil ſunt, ita etiam à fidelibus nihili fiunt, non expetuntur, qvin contemnuntur prorſus ac abominanda habentur, ſi ſine DEO, ſi invito ſummo rerum arbitro, ſi contra optimum Numen posſideantur ab improbis posſideantq; eosdem.

Talis eſt in terris indigena, eritq; in cœlo proſelytus, ſecundùm illud Talmudicum *Joma cap.5. ab init.* וציבא בארעא וגיורא בשמי שמיא Elegantisſimè bonorum ingenium ſimilitudinibus depingit ὁ νῦν ἐν ἁγίοις Hülſemannus: *Sicut cunæ formoſisſimæ non delectant infantem, ſine matre lactante; non palatium viduam, mortuô maritô; non cœcum arx aurea, abſente lumine; non cibi corpus, abſente animæ: ita nec orbis pium, ſine DEO.* Vocem ארץ aliter explicat *R. Dav. Kimchi* ad h. l. ובארץ רוצה לומר בארבע יסודות: כי יש עובדים המים: וכן רוח והעפר *Per* ארץ *intelligit qvatuor elementa. Sunt enim qvi colant aqvam, aërem atq; terram.* Plura complectitur h.l. ארץ à cœlo diſtinctum, ut ſi cum cœlo conjungatur, univerſa mundi bona atqve opera inferat, non excluſis opibus, hono-

honoribus, amicorum consiliis & qvibuscunqve aliis hominum in terra præsidiis. Ea singula fidelis non desiderat, ut minimè removeantur sola terrestria, qvibus stulta gentilitas divinitatem affinxit, idola. Breviter, crassiorem tantùm fallorum Numinum cultum, non subtiliorem illum multiplicem reprehendit Rabbinus.

XIV. Ab externis mundi bonis, ad charissimam homini vitam propriumqve sui corpus, bona arctissimô sibi nexu conjuncta, Psaltes progreditur. Nec ista qvicqvam valent, DEUM si respiciat fidelis. Nec ista DEO solùm amando præponenda; qvin potiùs, ubi DEO vitæ necisqve arbitro, visum fuerit, lubentissimô animô in morte relinqvenda. Φιλαυτία ἐχθρὰ θεοφιλίας. Nonsolùm honorem proprium fugere, amorem sui nimium declinare, voluntatem DEO repugnantem compescere; sed ipsam etiam vitam pro Christo, pro fratribus profundere decet fideles. Utut corporis vires frangantur, animi vigor deficiat, ipsaqve mors membra multiplici miseriâ ac ægritudine confecta, feretro ac sepulchro imponat & in pulverem redigi permittat; firma tamen fidelium in firmissima petra, Christo, fiducia manet, lætissima eos cælestis hæreditatis portio manet. Ab isto in qvacunq; fortuna firmissima sibi præsidia petunt & ornamenta pulcherrima expectant.

XV. Hæc in suis veluti partibus aliqvantò penitiùs cognituri insistimus vestigiis ab Asapho nobis relictis. Is verò monstrat primùm *gravissimam sui afflictionem*, deinde *firmissimum DEI præsidium*. Afflictionem vocat *consumtionem*, cùm universi *corporis*, tum sigillatim *cordis*. Cum magna sui incrementa, eximium corporis robur & faciei decus videant ostententqve improbi v. 7. verus DEI cultor ob varias, qvibuscum conflictatur, vitæ hujus ærumnas, deficientem animi vigorem experitur, corpus sensim sensimqve tabescit & tandem penitùs consumitur.

Ita enim כלה præter simplicem finiendi seu absolvendi significationem, notat *deficere*, uti deficit *oculus* ex fletu nimio Thren. 2, 11. aut circumspectione nimis attenta, in DEI sive auxilium Ps. 69, 4. sive verbum Ps. 119, 82. Similiter *animus* divinis inten-

intentus deficit ex ardentissimo desiderio Ps. 84, 3. Inde designat tabescendo *absumere*, ut libidinosus carnem perdit Prov. 5, 11. ut gramen virorem amittit Jes. 15, 6. Significat etiam *evanescere*, ut *nebula* Jobi 7, 9. à radiis solaribus facillimè discussa Sap. 2, 3. ut *nubes*, qvas etsi gravidas citò arctoi boreæ dissipat impetus: ut *fumus* Ps. 37, 20. Ps. 102, 4. à vento facilè diffusus Sap. 5, 25. aut ut ipsa *hominum vita*, ex ira DEI Ps. 90, 7. præ mærore hominum Ps. 31, 11 celerrimè evanescens. Infert interdum *consumtionem* hostium Ps. 18, 38. Ps. 71, 13. utpote Syrorum 1. Reg. 22, 11. Amalekitarum 1. Sam. 15, 18. Gibeonitarum 2. Sam. 21, 5. Israelitarum Jer. 5, 3. c. 9, 5. Thren. 2, 22. Ezech. 22, 31. qvalem DEUS iis erat comminatus Exod. 33, 5. Jos. 24, 20. Atqve ita sæpe denotat *penitùs extirpare*, planè corrumpere & è medio tollere: qvale supplicium Cananæis 2 Reg. 13, 17, 2. Paral. 8, 8. omnibusqve impiis Ps. 59, 14. paratum. Conf. *M. Georg. Cruciger in harmonia lingg. cardinal.* Pii verò non tantùm in provecta ætate virium suarum imminutionem, defectum, absumtionem, evanescentiam & omnimodam consumtionem experiuntur, eoqve nomine DEUM in subsidium vocant Ps. 71, 9; sed & qvocunqve vitæ tempore conflictum manûs Domini Ps. 39, 12. gravissimæ Ps. 32, 4. fide qvidem sustinent, suam tamen imbecillitatem, & cùm maximè fidei viriumqve spiritualium, tum corporis qvoqve ac naturalium facultatum defectum intelligunt dignèqve æstimant. Facit huc corporis egestas, nuditas, peculiaris fidelium calamitas, amicorum perfidia, inimicorum insidiosa, hostium publica afflictio. Rectè igitur כלה transtulit *Lutherus* per verschmachten/ *Chaldæus* per שיציא quod perdere, consumere notat: *Syrus* per ܫܠܡ qvod perficere & plenè consumere significat: *Æthiops* ፈለቀ adhibuit, qvod aliis est divisit, ipsi defecit, consumtus fuit. Idemqve expresserunt LXX. voce ἐκλείπω qvam sæpe de mortuis adhibuerunt Gen. 49, 33. Ps. 18, 38. Ps. 104, 29. qvos etiam Plato vocat ἐκλείποντας. Non præ mœrore, sed desiderio deficiendi significationem eligit *R. Sal. Jarchi* inqviens: כלה שארי נתאוה בשרי ולבבי לך כלה שארי לשון תאוה כמו כלתה נפשי לישועתך *Desiderat caro & cor meum te, nam* כלה *notat desiderare sic Ps. 119, 82.* Consentit *Aretius Felinus* loco supra citato, dum ait:

ait: *defecit Caro & cor meum, subaudi, præ nimio desiderio DEI, ut sit simile Ps. 84, 3.* Sed אין טעם וריח בפירוש חזה contrarium ostendit oppositio felicitatis impiorum v. 7. & fortunæ adversæ piorum, v. 11. 14, 22. assertæ. Locus Ps. 119, 82. à Raschi inconvenienter adductus, propter v. 83. pro nobis facit; nostro autem prorsus non respondet locus Ps. 84, 3. à Felino allegatus, qvia gratissimum ibi objectum animæ præ desiderio deficientis recensetur, hîc non item. Ut ne silentio involvamus, dudum ab eruditioribus observatum esse, locutioni huic deesse particulam conditionalem si, utut, qvamvis aut similem. Ita B. Lutherus: **Wann mir gleich Leib und Seel verschmacht.** Consentit רק atqve רשבם voce כשיכלה. Similem conditionalis particulæ defectum agnoscunt Literati in Gen. 42, 38. Lev. 10, 19. Deut. 30, 8. 2. Reg. 5, 13. Ps. 39, 12. Ps. 40, 6. Ps. 46, 4. 7. Ps. 68, 2. Ps. 72, 16. Ps. 91, 7. Ps. 139, 17. Prov. 1, 5. aliisq; Scripturæ locis.

XVI. Corpus vocat שְׁאֵר à שאר reliqvus, residuus fuit. Notat ea vox qvamcunq; *carnem*, qvæ est *reliqva pars* animalis post animam, dicente D. Förstero. Suum verò corpus nominat Asaph, habitâ ratione potiori afflictionis propriæ, apud fideles hîc gravioris; qvâm alienæ, apud improbos isthîc & rarioris & levioris. Qvin & suam cuiq; fideli calamitatem divinitùs adsignatam docet, eidemqve peculiare fiduciæ robur opponendum rectè monet.

Adhibetur שְׁאֵר primùm *de carne viva*, animæ contradistincta, utpote corpore humano, qvod consumit libidinosus Prov. 5, 11. affligit avarus c. 11, 17. depascit tyrannus Mich. 3, 2. 3. Jer. 51, 25. Inde etiam designat *coctam* aut coqvendam brutorum carnem, alimento hominum inservientem Exod. 21, 10. qvalem Israëlitis in deserto DEUS dedit Ps. 78, 29. 26. Refertur postmodum μετωνυμίας tropo ad *propinqvos* necessitate sangvinis junctos, velut unum trahentes sangvinem, aut ex eadem carne prognatos: & sic cum viva carne ipsam simul animam denotat Lev. 18. 6. 12. 13. c. 20, 19. c. 21, 2. c. 25, 49. In nostro autem loco שאר primam propriamqve significationem retinet, notatqve corpus humanum, qvod qvamvis non contaminet atq; perdat libidinis,

avaritiæ

avaritiæ aut tyrannidis malum, ob adhærentem tamen peccati labem gravissimis est expositum periculis, subitaneis corruptionibus, intensissimis doloribus, diuturnis morbis & mille mortis generibus.

XVII. Afflictionem magis auget membri in humano corpore præcipui peculiaris designatio. *Cordis* enim sigillatim mentionem injicit, tanqvam *præcipuæ corporis humani partis, vel carnis nobilissimæ, animæq; sedis primariæ: qvæ juxta Philosophos est primum vivens & ultimum moriens, qvâ deficiente vel tabescente, deficit tabescitq; totus homo*, ut accuratè loqvitur *D. Gejerus Tom. I in Ps. p. 1495.*

XVIII. Nunc oppositum afflictioni præsidium DEI firmissimum contemplabimur. Id primùm voce צור exprimit Divinus Vates. Notat autem צור propriè *rupem* fortissimam seu terram ex lapidibus arctissimô naturæ nexu velut colligatam, probè fundatam, præ alia eminentem Ps. 27, 5. Ps. 61, 3 naturâ munitam, adeoq; propugnaculo adversùs incursationes, fossas atqve expugnationes hostium aptissimam. Transfertur posteà elegânti metaphorâ ad omne id cui velut petræ inaccessæ & arci inexpugnabili tutò licet confidere, qvod nulla novercantis fortunæ aut hostium oppugnantium vis potest expugnare.

Lutherus in prima translatione optimè reddit Hort / qvasi hoher Ort / ein fester und wolverwahrter Ort. Posteà transtulit Trost / redundantem ex rupis hujus inhabitatione fructum præcipuum respiciens, consolationem cordis; uti Chaldæus probationem & confirmationem ejus; qvam posteriorem etiam Syrus expressit. LXX. Interpretes, hosqve secuti Arabs, Æthiops, & Vulgatus Latinus vocem צור reddiderunt DEUS, debitam nec rei, nec verborum curam habentes.

XIX. Nec rupem tantùm dicit DEUM, sed *cordis sui* rupem: id enim adjecta, fiduciæ plena, vox לבבי indicat. Cordis debilitationi animiq; deliqvio suo opponit solidam eminentemq; petram ac arcem divinam: huc afflicta avis fugitivis fidei speiq; alis iter dirigit Prov. 18, 10. hîc divino sub præsidio tutissimè latet, hîc verum cordi gaudium nascitur, hîc efficacissima in Christo consolatio, vita ex & in DEO, salusq; æternum duratura obtinetur. Concludimus D. Ambrosii verbis: Felix cui portio DEUS est, qvia totiûs naturæ possessor est; effectus videlicet totus qvidam cum DOMINO Dominus.

אמן.

Ung. VI 17

ULB Halle 3
002 114 550

Sb

1028
1017 I

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-642207-p0019-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-642207-p0020-3

B. V. 23 25. 22

חלק

PTIMA FI-
PORTIO

MI LXXIII.

: 25. 26.

us Philologicis
trata,
Qvas
ione Publica
SIDE
O WILLEMERO,
ncofurtano,
ere
ONDENS
IS Naymer /
bonensis.
. DC. LXXIX.
embris, hor. matut.
tor. Veteri

BERGÆ,
NCKELII, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-642207-p0021-9